



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri Francisci Chiffletii, Vesontionensis, Societatis Jesu
Presbyteri, Opuscula Quatuor.**

Chiflet, Pierre François

Parisiis, 1679

VI. S. Bernardi epistolam ad Robertum nepotem, in pluvîâ sine pluvîâ scriptam, Gaufridus ejus Notarius primam inter ejus epistolas constituit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9409

VI. S. Bernardi epistolam ad Robertum nepotem, in pluviâ sine pluviâ scriptam, Gaufridus ejus Notarius primam inter ejus epistolas constituit.

NEPOS ejus Robertus quemadmodum seductus fuerit, cum adhuc puer esset, ipsius, de quâ loqui volumus, epistola verba declarant. Cum enim in alio Ordine jam per aliquot annos demoraretur, scripsit ad eum epistolam, erroneam ovem revocans. Exiit autem extra Monasterii septa, ut dictaret secretius: & Guillelmus (qui postea in Angliis Rievallensem edificavit Abbatiam) quæ dictabantur excipiens scribebat in chartâ. Subito autem inundante pluviâ timuit qui scribebat; erant enim sub divo. Cui venerabilis Abbas, Opus (inquit) Dei est: fac quod facis. Res mira! Madebant vestes eorum, & scribebatur grandis epistola, & chartam omnino non tetigit imber. Extat adhuc epistola: & ego ipse primam eam constitui in corpore epistola-

OPUSCULUM IV. 201

rum, cum audissem tam grande miraculum, ab ipsius ore qui scripsit eam in pluvia sine pluvia.

VII. Ducissæ Lotharingæ ad vitam meliorem conversio duplex.

DUCISSA Lotharingæ (quæ nunc in Monasterio Sanctimonialium feminarum quod Tartum vocatur, servit Deo in humilitate & paupertate multâ) cum adhuc corporis voluptatibus supra modum dedita esset, contigit venerabilem virum pro pace quadam rogare Ducem pariter, atque ipsam. Dùmque loquens extenderet manum, casu factum est, ut Ducissæ chlamydem tangeret. Cui unus de adstantibus arridens, Super religiosam (inquit) mulierem extendisti manum, Pater. At ille, Nondum venit hora ejus. Audiens Ducissa (siquidem literas noverat) compuncta est vehementer, & usque ad medullas animæ ejus sermo vivus & efficax penetravit. Eodem quoque tempore somnium vidit, quo amplius